



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

Manè, Doctina practica. De quotidiano Exercitio Humilitatis Religiosæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



DOCTRINA PRACTICA,  
Tempore Matutino Diei  
tertiæ relegenda.

*De quotidiano Exercitio Humi-  
litate.*

1. **T**anti est coram DEO Exercitium hoc, ut juxta revelationem, factam S. Magdalensæ de Pazis, per S. Joannem Evangelistam, Anima, quæ in se perfectionem habuerit Humilitatis, facillimè possessura sit amorem Dei, absque eo, quòd aliud Exercitium adhibeat, ad eum obtinendum, & nunquam inveniatur cor humanum plenum humilitate, quin sit plenum amore Dei, ut est in vita hujus Sanctæ 4. p. cap. 106. Et ratio hujus veritatis est; quia amor Dei ex appretiatione Dei super omnia provenit; appretiatione autem Dei super omnia, importat depretiationem rerum omnium, & maximè sui ipsius respectu Dei; depretiatio autem sui ipsius, est actus humilitatis.

2. Exercitium humilitatis est initium; & causa quædam omnis boni nostri supernaturalis: nam, ut affirmat S. Ber-

nardus; *serm. supra Missus est*: B. Virgo Humilitate Filium Dei concepit; è Conceptione autem & Incarnatione Filii Dei omne nostrum bonum profluxit. Humilitas cælum referavit, quod superbia occluserat, dum humiliavit semetipsum Dominus J E S U S, formam servi accipiens.

3. Tota vita Christi non aliud, nisi perpetuum Exercitium Humilitatis fuit. Natus ex humillima Matre, Fabri Sponsâ, in præsepio inter duo animalia; diu in Ægypto latuit, postmodum in ea Urbecula, de qua dicebatur: *à Nazareth potest aliquid boni esse?* quos deinde non pertulit contemptus? usque ad ignominiosam Crucem, in qua humilitatis exercitium exaltavit.

4. Vita Religiosa nihil aliud est, nisi perpetuum humilitatis Exercitium: Nemo enim fit verè Religiosus, nisi ex motivo humilitatis contemnat mundum; spes ejus omnes & commoda carnis suæ, seque totum Prælati & voluntati alienæ subdat: Atque ita gratia Vocationis innexa est gratiæ humilitatis, tamque diu durat, quamdiu humilitas durat; postquam autem Religiosus ab humilitate ultrò defecerit, eum à gratia, amoreque Vocationis deficere, Religionem deserere, & castra superbi diaboli sequi, necesse est. Sicut non est extrusus è cælo, nisi superbus Lucifer, ita

non ejicitur è Religione nisi superbus homo; & lucem sibi indebitam affectans.

5. Proficere in via DEI, est proficere in humilitate; hunc enim profectum consequitur profectus in omnibus virtutibus: quod ipsum, & factò, & verbo docuit Filius DEI; *factò*, quia cùm vellet proficere, elegit humilitatem, & cùm non haberet quidquam in se, ratione cujus vilis appareret, & reputaretur, nactus est id in assumpta humana natura, in qua eò redactus est, ut reputaretur vermis, & non homo. *Verbo*, dum dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

6. Exercitio humilitatis principaliter glorificatur DEUS: ostendit hoc toti terrarum orbi Filius DEI, qui ut glorificaret Patrem, immensitatem suam coarctavit ad staturam humanam: æternos splendores suos opacitate uterì virginalis obumbravit; omnipotentiam ad imbecillitatem infantis redegit, formam Dei exinanivit. Erras igitur, Religiose, si gloriam Dei per gloriam tuam promovendam putas; elige obscurum, & clarificabis Deum.

7. Mensura sanctitatis est mensura humiliationis, quia tantò aliquis est sanctior, quantò magis accedit ad imitationem Christi, qui est Sanctus Sanctorum; qui cùm à se addisci velit hu-

militatem, quantò aliquis ad hanc accesserit, tantò sanctior fiet. Eò igitur, Religiose, omnes conatus tuos confer, ut quotidie te humiliando exerceas, quod fiet his modis:

*Modi Humiliationum Cordis.*

1. **R**eputare se conspectu Dei indignissimum, nullo ejus dono dignum, & probrum Dei. Habuit tales actus humiliationis P. Ferdinandus Crenelius, frequentissimè de dievolvens verba hæc, ex Formula Votorum: *Divino tuo conspectu indignissimus.* Tempus talium actuum est Meditatio; Examina, &c.

2. Reputare se indignum consortio omnium hominum. De S. Francisco Borgia narrare solebat P. Gregorius Bavarus, quòd ille, cùm in Hispania transiret officinas Sartorum & Sutorum, timuerit, ne ab illis ob peccata sua interficeretur. Tempus hujus actus est quælibet conversatio cum hominibus.

3. Ponere seipsum infra damnatos, infra omnes creaturas, & in ipso nihili centro. Eò descenderat prædictus S. Franciscus Borgia, conquestus in quadam exhortatione die Coenæ Domini ad Fratres habitâ, quòd eum Christus ex loco scelestorum pedum Judæ, sub

quibus se ille collocabat , depulisset. Tempus hujus actûs est potissimum , dicendo , *Confiteor* , in Sacro , &c.

4. In contemptibus , & depressionibus omnis generis gaudere , perinde atque lapis dum deprimitur , & in infimo loco ponitur , quodammodo gaudet , quia centro suo proprior est ; centrum autem tuum , Religiose , nihilum est.

5. Tristari de omni æstimatione ac honore sibi exhibito , sicut lapis non est contentus , dum sublimi loco collocatur.

6. Odisse seipsum plûs quàm dæmonem , quia homo , dum peccat voluntariè , magis sibi nocet , quàm dæmon. Unde licet ex doctrina Christi teneatur inimicos diligere , quia tamen sibi ipsi est plûs , quàm inimicus , ideo seipsum potest , & debet quoad hoc odisse. Tempus hujus actûs eliciendi est præparatio ad Confessionem.

7. Non credere sibi ipsi , seque ipsum habere suspectum , tanquam furem & latronem suû ipsius , quia nemo læditur , nisi à seipso , juxta S. Chrysostrum.

8. Oblivisci sui ipsius , in nulloque seipsum spectare , nullas speciositates exoptare , sed omnia vilissima appetere : quid enim debetur ei , qui ex se nihil est , nihil scit , nihil potest ?

*Modi Humiliationum Oris.*

1. **V**ocibus, nominibusque seipsum compellare abjectissimis: sic David compellebat se canem mortuum. 1. Reg. 24.

2. Accusare seipsam coram Deo, superioribus, & æqualibus: *Iustus enim est accusator sui, Prov. 18.*

3. Silentium rigidè observare, ex hoc motivo, quòd sis indignus, alios alloqui.

4. Loqui submissâ voce, nisi necessitas aliud exigat, submissa enim vox est testimonium submissi animi.

5. Nihil in laudem & æstimationem propriam, etiam occasionaliter, proferre, nisi id gloria Dei exigat, quam solam in dictis suis spectabat Christus.

6. De nullo conqueri, nulli contradicere, nisi æquitas exigat; cum nullo disputare, nisi ex officio necesse sit; interdum etiam obticescere cum rubore; iste enim est Spiritus Christi, de quo Isaias: *Non aperiet os suum. cap. 53.*

*Modi Humiliationum Operis.*

1. **A**vidè accipere & obire humilia obsequia, & juxta Prophetam, jumentum instar esse. *Psal. 72.*

2. Omnes honore prævenire, juxta

præscriptum S. P. Nostri, & imprimis Apostoli, *ad Rom. 12.*

3. Mitem in omnibus esse, mansuetum & tractabilem, juxta illud Christi: *Discite à me, quia mitis sum, Matt. 21.*

4. Ad docendos rudes & pueros se offerre, juxta illud Christi: *Sinite parvulos venire ad me. Matt. 10.* Sic P. Melchior Vitrimontanus Grammaticam solum docuit 20. annis. P. Joannes Alphonsus eandem 21. annis. P. Ildefonsus Munez 26. annis. P. Hieronymus de Rugozza docuit eandem Hispali 36. annis, ut perhibent Annuæ nostræ Societatis.

5. Ex affectu latendi, cubiculo raro & nonnisi justa de causa exire: an enim Christus, qui est lux ipsa, in cubiculo Nazarethano non latuit?

6. Non faceffere ullam difficultatem superioribus in regimine sui; sicut Christus Præfidibus etiam impiis nullam fecit difficultatem.

Concludo doctrinam hanc dicto, quo vitam conclusit suam P. Sebastianus Barradius, Commentariis in Sacram Scripturam clarus, sed humilitate clarior, qui ante mortem monitus à suo Superiore, ut aliquam doctrinam circumstantibus relinqueret, præmortuam vocem ad obedientiam elevans, dixit: *Humiliamini sub potenti manu DEI, ut vos*